



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 5. Rex foederatorum progressibus segniter resistens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

§. V.

Sæcul. XVI.
A. C. 158.*Rex fœderatorum progressibus segni-
ter resistens.*

Eodem tempore, quo hoc edictum promulgabatur, Guisus Dux Fœderis nomine Tullensem, ac Virodunensem urbes occupabat, simulque Mentensem sibi subiecisset, nisi Espernonius Dux continuatis ejusdem victoriis obicem opposuisset: Henricus tamen III., Franciæ Rex, cum tanquam regia potentia suffultus primis victorum successibus fortiter sese opponere debuisset, duntaxat die vigesima nona Martii edictum promulgabat, quo bis centies quinquaginta millium aureorum tributum remittebat, atque sine diserto mandato suo milites conscribere prohibebat: paulo post tamen suo in Helvetia Oratori injunxit, ut ibidem delectum haberet: insuper idem negotium in Germania Schombergio dabat, qui tamen in itinere captus Virodunum abducebatur: nec minus socordem sese Henricus III. exhibebat, dum Cardinalis Borbonii edictum receperat, quippe supremæ suæ dignitatis immemor non tam præcipere, quam supplicare, & tanquam reus coram judicibus suis causam dicere videbatur, perdemisse illos, qui hujus fœderis Duces erant,

exo-

*Thuan. 83
Dav. l. 6.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1585.

exorans, ut arma deponant, & a sua clementia, & prudentia expectent, quod per bellum minime consequi possent: porro hac agendi ratione Fœderati animo erigebantur, ac Guisius Dux inde audacior factus plures Urbes occupabat.

§. VI.

Regina Mater cum Guiso Duce de pace agens.

Thuan. l. c. Cum Dux, quamvis crebris victoriis clarus esset, per suos tamen emissarios divulgari satageret, quod ad ineunda pacis consilia paratum haberet animum, hinc Rex Reginam Matrem suam rogabat, quatenus Guisium Ducem visum iret: ergo illa ad Espernæum Cœnobium ad Matronam situm se confert, comitantibus eam Procerum quam plurimis, ubi etiam colloquiis in longius protractis fœderati ineundis concordiae pactis moram trahere nitebantur, ut cunctas vires suas congregandi spatium nanciscerentur. Præprimis ibi Rex ab armis cessari petebat, ex adverso autem Guisii Ducis amici prius vitam, quam arma deposituros se ostendebant, donec bellum sine induciis cum Protestantibus ineundum, in Regni Curiiis promulgatum, atque a Rege, Principibus